is annus hic Jobel, vulgo Jobelæus vel Jobilæus sed communiori voce Jubilæus appellatur, exactis septem annis Sabbaticis, seu annis quadraginta novem exactis, rediens annus, anno nempe quinquagesimo quolibet, dictus est Jubilæus. Descendit autem vox Jubilæi ab Hebraicô יוֹבֵל: Jobhel: quod arietem, ut & cornu arietinum, notat,

Jos. VI. Septem enim Sacerdotes septem gestabant buccinas arietinas coram arcâ foederis. Marbachius in Leviticorum Cap. XXV. ut & Andreas Masius putant: quòd annus hic, Jubilæus nempe, Ebræis Jobel, à Jubal, primo Musicæ Organicæ, horumque instrumentorum, quibus ad gaudium excitandum nil potentius, autore ac inventore nomen suum habeat! De hoc enim legimus Gen. IV: quòd Pater omnium cithararum & organon tractantium fuerit. Alii aliam hujus vocis dant Etymologiam Autores, Etymique & rationes subjiciunt. Sed verisimillimum est: quòd Jubilæus annus Ebræis vocatus fuerit Jobel à cornibus arietenis: quorum clangor olim totam personabat Judæam. Celebratum Festum hoc ipsum esse mense Tisri, vulgò putant. Postcaquam enim DEUS Moysen informârat de anni Sabbatici Juribus & Privilegiis, statim Solemnia Festi Jubilæi subjecit, atque ejus promulgationem præcipit fieri numeratis septem annorum Sabbaticis, sive septem an-